Leszczyński Venceslaus

Episcopus Varmiensis et Sambien.

Brunsbergensis Coll. S. J.: <u>Structura</u> honorum ac meritorum vetustissimi splendoris illustri Principi Vencesl. Leszczyński, Ep. Varmien.

STRUCTURA
HONORUM AC MERITORUM VETUSTISSIMI SPLENDORIS ILLUSTRISSIMI PRINCIPIS
AC
REVERENDISSIMI DOMINI
D. VENCESLAI COMITIS DE LESZNO LESZCZYNSKI
EPISCOPI VARMIENSIS & SAMBIENSIS.

Quam

MAGNO PRINCIPI

Auſpicatò ſedem ſuam ingredienti

Collegium Brunsbergenſe SOC. JESU repræſentauit

BRUNSBERGÆ
Typis CASPARI WEINGÄRTNER,
Anno M. DC. XLV.

Non eſt Epiſcopo quidquam maius in Eccleſia DEI, qui DEO conſecratus eſt pro totius mundi ſalute.

Ignatius Martyr Epiſt. ad Smirnenſes.

AD
Illuſtriſſimum ac Reuerendiſſimum Dominum,
D. VENCESLAVM
COMITEM DE LESZNO LESZCZINSKI,
EPISCOPVM VARMIENSEM Ac SAMBIENSEM.

IVre merito, gentium eruditarum facilè Principes Graii, Rēpublicam curantium munus, baſis vocabulo deſcripſerunt, Princeps ac Antiſtes Illuſtriſſime. Grandis etenim illa, liberæ præſertim Reipublicæ moles, quæ ex diſpari vulgi procerumque genio, in vnam recto ordine conſtitutam maieſtatem, ac veluti firma quædam mœnia componitur, talia & de ipſis ſolijs, & de omnibus ſubſellijs capita habeat eſt neceſſe; quæ omnibus huius grandis ſtructuræ partibus, etiam pro ſe caput, & conſilia habentibus, ſolidum præbeant, & ciuili robore cuſtoditum fundamentum. Ita dum Roma, vrbs illa, orbis caput, Capitolinæ arcis prima iaceret fundamenta, capitis omen dextro auctoritatis futuræ augurio accepit. Pari ratione, robur illud Africæ, bellicoſiſſima & magnifica tot ſæculis Carthago, geminorum repertorum capitum omine, baſes poſuit magnæ maieſtatis. Nempe ipſa etiam harum ſanè maxima Rerumpublicarum prima ædificia, grandes & conſultiſſimos ciuilis ſuæ magnitudinis architectos ſeruatura, capitis omen, tanquam firmamentum & pollicitationem prudentis regiminis, accepêre.

Noſtra Polonorum Reſpublica, nuſquam illa quidem iam ab ipſis ſuis exordijs aſpectabili caruit magnitudine, cùm haberet præ Romanis Romulis, Numis, Hoſtilijs grandiores magni

tudinis ſuæ effectores Lechos, Viſimiros, Cracos, Præmyslos, totque alios, quorum ope magnam ſe inter finitimas gentes effecit: adhuc tamen Capitolio iſta moles, & capita noſtra luce iſtâ, quam nunc habent caruerunt: donec tu Magne Præſul in illo gentis tuæ apud Polonos Dardano, Philippo tuo, ex affini nobis Bohemia in vetuſtiſſimis quidem Illuſtriſſimæ proſapiæ tuæ ceris caput, magnitudinis Polonæ omen: in Sereniſſimis verò Dombroucæ tædis Chriſtianum lumen attuliſſes.

Tunc & cæca ante hæc Polonia, non in capite tantummodò, ſed toto ſuo corpore lumina habere cæpit Chriſtiana, dum tuis Boſſutis, Rutgieris, Verneris pro ſacris; deinde Philippis, Sobieslais, pro ciuilbus Martiiſque luminibus vſa eſt, vt per eos toto prope ſuo magnifico corpore, Argus Illuſtriſſimus efficeretur. Et ipſa tum Reipublicæ magnificentia, iam ſe capitolium quoq; habere cognouit, dum per eos ſe ad ſplendorem ciuilem, omnia prope Senatus maiora ſubſellia poſſidentes, formari videret, qui caput in gentilitijs armis pro fundamento Chriſtiani regijque apud nos luminis attuliſſent. Magnæ ſunt aliæ & illuſtres, honorum virtutumque merito, in iſta Republica gentes, quarum tu ſplendorem, quia plerumque ſanguine in magnitudinis tuæ trahis apparatum, vt caput in omen Maieſtatis Polonæ per maiores attuliſti: ita ipſe capitum habens totam prope in proſapia tua curiam, grandem & iam ſeptem Sæculis, Senatoriæ gentis tecum circumfers Metropolim. Cum itaque nunc iſtam Maieſtatem in Varmiaci Principatus tuam ſedem dignam merito magnitudinis tuæ, & primis gradibus auſpicatam, tibi non Antiſtiti tantùm, ſed & Principi ſacram, feliciſſimè importas: multa ſimul mentes noſtras, ſuæ quidem magnitudinis augur, tuæ verò venerationi impar inceſſit cogitatio. Vt vidimus in Varmiacis armis ſub Infulis caput, cogitabamus mox, Principum iſtam Antiſtitumq; Sedem, quæ cum Hoſio feliciſſimè Romam ædificare cæpit, ipſum etiam Capitolium poſtliminiò habituram. Venit quoque nobis cogitatio (vtpote plura ad explicatos tuæ claritatis radios videntibus) quoquò ſe Sacri prophaniq; transferrent Romanorum Principes, eòdem veluti maieſtati obſequentem vrbium molem, Senatus amplitudinem, totum reipub. ſplendorem ſeſe tranſtuliſſe: quo itinere, Romana præſertim Magnificentia, iam Bizantium, iam Auenionem eſt peregrinata. Quare & nos de cerarum quidem Illuſtriſſimarum tuarum omine ſpe bona pleniſſimi, de noſtra porrò tenuitate tantæ noui Principis accipiendæ maieſtati impares, rem egimus de ingenio: & ne auguſtus tuus ſplendor

huc

huc concedens ſuis careret radijs, de Tua illuſtriſſima magnitudine, Tuam Tibi Principi Virtutum Honorumque excitauimus Metropolim. Impares equidem & ad tantum opus rudes nimiùm, munus adiecimus: ſed quia tua vbique magnitudo, tuis animata meritis ac virtute illâ auitâ eſt, facile ſe vel ipſa in magnitudinem promouebit. Nos vero vel nomine operis, Muſas noſtras in perenne ſtudium illuſtri tuæ maieſtati addiximus, & iſtum tibi hærēdi modum commenti ſumus. Non reijcies, Princeps Illuſtriſſime, deuotorum tibi clientûm liberam ſubiectionem, etſi ineruditæ operæ diſplicebunt.

FVNDAMENTA
MAGNIFICÆ
STRVCTVRÆ

Illuſtriſsimi Principis ac Reuerendiſsimi Domini

D. VENCESLAI DE LESZNO LESZCZYNSKI
EPISCOPI VARMIENSIS ET SAMBIENSIS.

COmmunis humanæ magnitudinis curſus, antequam cum maioribus annis in faſtigia adoleſcat, etiam ſub mitris creatos, ad ipſam futurę maieſtatis crepidinem, ritu quodàm naturę ſueuit deponere, Præſul Illuſtriſſime, vt flos ille primæ ætatis, nepotum magni Sanguinis, in ſpe fructus honoris numerans, genuino prope vocabulo aſcenſus nuncupetur. Illi enim primi egregiè formatæ iuuentutis greſſus, & per virtutem cultoſq; deducti mores gradus, aptam futuræ magnitudinis ideam circumſcribunt: illa honeſta eximiæ indolis fundamenta, iam apices & ipſa frontium ſydera metiuntur. Ille pulchrè natus & ſuo par generi animus, quo anhelitu in ſummo etiam olim æſtuabit gradu, illis adhuc intaminatis adoleſcentiæ enunciat igniculis. Quibuſcunque, Magni verbum, maturata addidere promerita, primi adhuc anni non vulgaribus ingenij, morum, virtutis rudimentis ſpem futuræ molis oſtenderunt. Prius ſceptris Britānicis fuit quàm vitæ admotus Eduardus; ante paruitatem etiam ſuam magnus, cui magnum, & cœleſte inter cælites parabatur ſolium. Solida Auguſtani Vdalrici futura virtus mortem elegiſſet, quàm in ſoliditatis ſuę detrimenta vel guſtum victûs primæ infantiæ admitteret. Magni futurus Vir Conſilij Elſearius priùs eloquens, quàm loquens. Ita ſe in magnis viris primis coloribus ſemper pingit non vſitatæ magnitudinis futura maturitas. Tua, Magne Præſul, moles iſta vel inprimis ſtatim gradibus trabeæ ſuę iam Principum inſcendens faſtigia,

& plures Principatus Sacri gradus in aſcenſu numerans, habuit profectò iuuentutem vt aſcenſum, primis adhuc floſculis altitudinem tuam coronantem.

Dum ex illis maieſtate tempora ſua ſuperantibus annis, iam magnus Senator ab vniuerſis ex bona ſemente plenam meſſem pronuntiantibus promittebare, circumferebas iam tunc vultu ad maieſtatem compoſito, indole cùm facili tum & magnificâ, virtute non viuaci tantùm ſed & duraturâ, omnem magnæ tuæ gentis Senatum. Vnde, vt eſt expeditum magno genio quoduis ſceptrum polliceri, varius mox ominantium ordo conſurrexit. Alij redituros in te illos omni ſæculorum memoriâ maiores, tot Philippos, Raphaëles, Sobieslaos, Dobeslaos, Præmyslos, Ioannes, Vratislaos, Andreas, Venceslaos, alioſque innumeros tot ſæculis tuæ gentis heroas pollicebantur. Alij ad eum attentiores ſplendorem, quo per maiores gentis tuæ ad Sereniſſimorum deducta eſt radios Polonia, illos Boſſutas, Verneros, Rudgieros, Philippos, Fridericos, Raphaeles in te recreſcere ominabantur. Quorum tu quidem ſpem impleuiſti, auſpicatiſſimo progreſſu ſpem ſuperaturus vniuerſam, vtpote qui altiùs aſcendis merito, quã noſtra mens ad tuos radios hebeſcens poſſit pollicitatione. Ita cum vel ipſo naturæ ductu magnitudinem tuam ad pulcherrimam maiorum tuorum Ideam erigere adhuc ordireris, iam in illo ætatis fundamento, non vt Salomon olim, aut auctior etiam Eduardi ſoboles, vni tantùm parenti, in te palatium, in quo Senatoria meritorum ſimilitudine perennaret; ſed vniuerſæ gentis tuæ populis & meritis grandem Metropolim ſuſcitaſti. Ita primas virtutis lineas ducebas, vt virtutum illarum omnium imago, quæ per auorum tuorum merita ſparſa fuerat, includi poſſe in te videretur. Ita ad magnitudinis tuę incrementa attentus fueras, vt peritos nactus domi interpretes, auitam virtutem & grandem animum, quod nos ex memoria veteris moris audiuimus de iuuentutis patriciæ Principibus, ritu tuo impleres. Quippe cum alij, qui eſt crudorum annorum perpetuus mos, illud ætatis lętum tempus luſui potius, quàm vitæ conſecrarent tu maturus virtuti plane conſtiteras: cùm maieſtate, grauitate, moderatione, ſermonis pondere, morum cultu, actionum elegantiá, ita emineres, vt princeps patricię virtutis vbique dicerêre. Et quia etiam corporibus noſtris menſuram & imaginem prima deſcribit ætas, Tu ingentis meriti tui primis olim faſcibus Principum ſuggeſtus ſuperaturi imaginem, impletis tenero adhuc ęuo Principum virtutibus confeciſti. Præſciuiſti Orientis Prin-

Principum maieſtatem, in triplici illa palęſtra, Purpurâ videlicet, exedra, & Palatio magnitudinem ſuam erigere ſolitam fuiſſe. Atque ipſe etiam principum methodo futurum in te principis vocabulum, re ſolidâ erexiſti. habuiſti gentile cerarum caput pro omine, vt ſupra omnes altitudine meriti aſſurgeres. Leſzcynia te Purpura, tot iam ſæculis primorum ſubſelliorum teſtimonium habens, facilè; ſi gentium ſpectas antiquitatem, inter Principes magnarum gentium cenſendum decore Polono declarauit. Quam tu magnitudinem bene tibi hærere vt atteſtareris, ſingulariùs in amplitudinis tuæ teſtimonium laboraſti, dum naturæ concolorem virtutem redderes, et genti principi, Principum faſces arrogares. Æmulantur plerique illuſtriſſimo ortu Illuſtriſſimum mundi, & ita purpuram in ortu accipiunt, vt lumen ſequentis temporis inſigni dedecore obnubilent: & poſtquam illuſtres natales aut dedecori immerſerunt, aut diſpares naturæ priuatim vixerunt, damnant grande beneficium primæ magnitudinis. Alij de ſua virtute florum ritu purpuraſcunt; ſed vt flores, non raro ſibi tantum purpurei, cum patrimonio virtutis non tranſmittunt hęreditatem. Tu Princeps Illuſtriſſime, ita in Senatoria auorum abauorumque purpura creatus es, vt ipſa te natura & ducti cum magna virtute parui anni ad Principum purpuram approbarent. Vt verò firmiore ſpe te ad purpuras expectaremus, etiam in Exedris adoleſcentiam ad magnitudinem Polonam formauiſti. Perpolitam non mediocriter Polonis Muſis & prudentiâ mentem, vbi ſatis genij Poloni, iuxta quem mundum cenſeres, quæſiuiſſes, & quid in magnitudinis tuę incrementa admittendum eſſet probè calleres, elegiſti cùm primas in Orbe Chriſtiano, tum & maximas omnis ciuilitatis exedras Lutetijs, vbi in illo confluentis Orbis terrarum compendio, inter plures ingentium animorum ideas elegantiùs maieſtatem tuam excoleres. Vrbs illa Orbis ſui Caput, quę incolarum multitudine ipſum numerum, artium varietate ac pręſtantiâ omne pretjum, ſapientię fontibus ſummæ capacitatis terminos, magnificentiâ, hominum admirationem, ararũ numero Cęlites, Religione deſiderium Cæli exęquaret, tuę capacitati par acceſſit. Poſtquam illę etiam gentes atteſtatę ſunt, te non de vano in gentilitijs armis potentiſſimi animantis caput attuliſſe, ſed vt ſciret Orbis, te grande fundamentum magnitudinis ad exteros attuliſſe, in quo omnis peregrina bene conſiſteret magnitudo. Itaque capaci mente, genio fęliciſſimo, ſapientiam, prudentiam, peritiam, magnificen-

tiam, ciuilitatem, cultum, fortitudinem, religionem, & quidquid Senatoris Poloni caperet maiestas, peritissimè excerpsisti. Hinc itum ad alias exedras, non quod egeres pluribus genijs, de tuo sufficiens, sed vt collatione cum pluribus tuam excellentiam dignosceres. Postquam verò in illis exedris, in quibus Polona juuentus peregrinatione se excolit, satis tuam indolem probauisti, attulisti cum bene formatâ juuentute plurimarum nationum sermonem in palatia Serenissimorum Poloniæ; vt quantum ex gentibus cultis thesaurum capaci mente collegeris, vel in lingua, quæ tibi tanquam grande bonum contigit, indicares, Romanam, Germanicam Gallicam, Ibericam, aliamquè virtutem omnem Polonæ maiestati in obsequium subiecisti, vernaculamque eius esse, tuâ peritia monstrauisti: et, vt est augur suæ excellentiæ mens magna, iam tum Mytridatem in curia Polona præsentasti, qui & ad maiora Poloni Monarchæ ministeria pluribus egebas sermonibus, & magistratu Princeps effectus non vnâ linguâ subditos alloqui debueras. Frustra apud veteres, vt insigne, suam linguam ostentaret veritas, nisi tibi istud magnæ rationis argumentum, & perito sermone in libera Repub. valentis Senatoris testimonium inseruiret. Vix in primo palatij limine, aptam ad ciuile incrementum virtutem, in illum magnitudinis campum attulisti, cognouit ille locus Maiorum tuorum virtute inhabitatus, maiestate impletus, auctus consilio, rebus cum gloriâ gestis conspectior orbi redditus, illam LESZCZINIAM virtutem, ad magna apud se gerenda, in hærede magnarum dotum reuerti. Executus es subitò præcellentis Aulici excellentiam, & Senatorij subsellij meritum; atque, si ad tempora virtutis tuæ fasces tibi prouenissent, pridem subsellia omnia testimonium magnitudini tuæ dantia superasses, & vir vltra meritum noscerere: sed, quia magnis ideis aulæ quoque magisterium indigebat, fatum quoddam effectum est, vt exemplum istud Leszczynium, quod cum Christianitate simul curiæ Polonæ natum est, diuturnius exhiberes. Vbi illis inusitatæ tuæ indolis admiratoribus grandes cogitationes effecisti, vt facilè tibi omnia subsellia pollicerentur, cum ante Curiam adhuc, omnium virtutem ac vim apud te habitare monstrauisses. Illa tua Tulliana, aut Leszczynia potius facundia, iam primis suis verbis Lauream tibi orbis nostri quam postmodum causarum relator & auditor, omnium confessione retulisti, deferebat. Habuisses ante ætatem curiam, qui habebas maiestatem, nisi ætas illa, quę in ascensu erat, magisterium ascendendi alijs instauraret, obsequio solido, fide, sinceritate-

ritate-

ritate, moderatione, grauitate, beneuolentia, modestia, dexteritate, comitate, toto magnarum dotum Senatu. Ita ad magnitudinem Principis juuentutem tuam dotibus exaggerasti, vt matura quoque purpuratorum iudicia multa ex eis, in quibus excellueras apud se desiderari, minusq; ab optimis quibusq; posse expectari animaduerterent. Diuinam prope nactus es adolescentiam, vt præter vnum vsum frequentis virtutis, nihil maturior ætas ad soliditatem addidisse videatur. Etsi enim grandem virtutum Academiam, cùm palatia intrares, sis ingressus, vt inter tot Ideas, quot Polona mens capere potest, ad magnitudinem proficeres: quia tamen bene iam compositum dotibus omnibus ferens animum, præceptis illis obuiasti, etiam à grandi magisterio non egebas adiuuari.

Iuuentuti Magnificæ.

Redire in pristinam negotiorum viam humana acta
Platonis fabulam censeremus,
Nisi
Dum Principis auspicatò sedem ingrederis,
Iam te ante vocabulum Principem fuisse sciuissemus.
Ita,
In illustrissima omnibus Polonis seculis gente natus es,
Vt priuilegium trabeatæ naturæ
Fieret exactio maturi subsellij.
Ita primum ætatis florem,
Ad trabeatas gentilium tuorum Ideas virtute tinxisti,
Vt illa ætas, trabeæ naturam seruans,
In Principum fructus excresceret.
Ostendisti Magne Præsul paruis annis,
In magno nato animo nihil ad paruitatem decrescere,
Vbi consciam generis repererit indoles virtutem.
Et in illa ætate omnem virtutis gradum habens,
Iam grandis Princeps fueras,
Cùm maturitatem tuam non annorum numero definires;
Qui semper æternitatem, non ætatem viuebas.
Dederat aliquando Roma grandem mole, non diuturnum Iuuenem:
Tu quia soli curam virtuti permisisti,
Statim maximus & sine honorum annorumq; basi
In illo ætatis fundamento eras.
Magni artifex mysterij,
Clausisti magnitudinem in paruitate,
Dum paruæ adhuc tuæ ætati nihil deesset eorum,

Quæ faciunt Magnos.
Experimenti Ciuilis campum
Ad mensuram animi tui
In maxima Europæ vrbe Lutetijs deputasti,
Et reddidisti par illis,
Qui se maximos apud exteros effecerunt.
Ætatem illam,
Quam opinionibus vitaque ritu à fine secernimus,
In ipso statim magni Herois fine constituisti,
Eò deducta primâ virtute, quò aliorum vltima non ascendit.
Sic
Citò sæculum habent,
Qui virtute viuunt.

PROGRESSVS
MAGNIFICÆ
STRVCTVRÆ

ETiam Pictorum vitium est, alieno decore sinceram adulterare pulchritudinem, & in similitudinis dedecus, auri decus adhibere. Quæuis egregia pulchritudo suis absoluitur coloribus; & magnitudo intra suos terminos crescit elegantiùs. Redux ab alieni cœli lilietis, quæ tu quidem peritè inspexeras, vt candidam in aulis mentem (quem colorem chamæleontes hodierni non induunt) præsentares, sub natiuo Polo ad virentes SIGISMVNDI III. & VLADISLAI IV. manipulos messem tuam, & semina futuræ grandis molis obsequio adiunxisti; vt in natiuo Lesczyniorum campo, sub patrijs sideribus, ad mensuram Maiorum proficeres. Et quidem si omnis hodie maiorum gentium polita curia, productâ etiam ex seculorum spatijs suorum eximiorum memoriâ, Te in aulis aspiceret, gauderet id vnius dotibus potuisse colligi, quod vix multa vetustorum monumentorum reuolutione, in ideam excellentis Regum ministri conquiri potuisset. quandoquidem cum varietate liuguarum, mores quoque nationum optimos ita composuisti, vt elegantiùs in Te consentirent, quàm in plerisque sparguntur. Istam nihilominus magnitudinem illis tu transcripsisti, qui ex alieni metalli basi satis magnificos se conspici existimant. Non satis tibi fuerat exterarum gentium decora in

Tuam maieſtatem digeſſiſſe, niſi in Sereniſſimorum Poloniæ Regum palatijs excellentem Maiorum Tuorum ui‿am iteratâ virtute calcauiſſes. Habet enim diuina quędam veſtra prærogatiua iſtud præcipuum, vt inter omnes auguſtæ maieſtatis participes, ſoli non creſcere in aulis; ſed ampliſſimam magnitudinem in documentum natæ èxcellentiæ importare cognoſcamini. Illud auitæ virtutis grande ſemen, ita vel primos veſtros in Republica flores, cùm adhuc ſub oculis Principum creſcitis, producit, vt ſtatim felices & iam grandes in lucem veniſſe credamini. Ille grandium veſter genius, quando adoleſcere incipit incremento meritorum, iam maturitatem aliorum, cultu & numero tranſgreditur. Sine gradibus propè eſt virtus veſtra‿; nam primis ſtatim paſſibus apices aliorum occupat. illuc enim profert fundamenta meriti, quo pleriq; mentem non eleuant.

Turbam Maiorum Tuorum in Auguſtiſſimorum Sereniſſimorumque Chriſtiani mundi palatijs numeraſti; ad quorum‿ exemplaria maior fieres. Notum Polonæ Regiæ Philippi primi, Raphaëlis veſtri magni, Dobeslai vetuſtiſſimi, cognominis Tui Venceslai ſydus. ſuſpexerat Germania & Bohemia Raphaëlem, Philippum, Vratislaum; Hungaria Raphaëlem admirata‿, Debeslaum etiam dotauit. quæ ſydera ad Polonum cælum iteratò confluxere, vt conſtellationem gentilitiam haberes. Et nos dum inuſitata virtutis, dexteritatis, efficaciæ Tuæ aulicæ euenta admiramur, vixque humanis viribus ea geri poſſe, quæ geſſiſti, cogitamus; in occultam gentis qualitatem referimus. Horum omnium lumen ſubitò in Te illuſtrem meriti ſpeciem accendit, vt ipſe quoque Sereniſſimus VLADISLAVS IV. Te ſingulariùs ex natiuis dotibus per opera ſeſe explicantibus cognoſceret; atque Tua opera frequentiùs ad maieſtatis negotia‿ vteretur. Te virtutis illius Regiæ, quæ hodie omnibus circa ſe‿ principibus aut terrori aut amori eſt, vſitatum ſumpſit inſtrumentum, vt ad grandia effecta, quæ ingens illa mens mundum ſuum ante ſe habens, in Reipublicæ maieſtatem deducenda apud ſe decreuerat, Tua virtus exquiſitiùs inſeruiret. Quo factum eſt, vt tribunalia iudicum, patrias legationes, maieſtatem‿ Sereniſſimi vicariam‿, frequentiùs adimpleres; & tot‿ prope Reipublicæ negotiis efficaciam adderes, quot vel in Republica naſci, vel magnâ Principis mente potuerunt præuideri. Vnde cum ſingularis Regiæ mentis miniſter fieres, hauſiſti ex grandi illo animo non eam tantummodò virtutem, quâ aptè maieſtatis vota impleres; ſed niſi Te modeſtia Tua & religioſa quædam maieſtatis veneratio retineret, etiam præuenires.

Cùm rebus vniuersis orbis quidam & circulus insit, & more temporum vices suas cum Sole annuo restaurantium, mores quoque magnarum gentium in posteris reuertantur, aspexit Te grata semper virtuti, & suspexit Serenissimorum Poloniæ aula, Maiorum tuorum decora felici ęmulatione restaurantem, dum nobilitatem tuam antecessorum restauratis virtutibus testareris, & virtutum imaginibus exercitum prosapiæ tuæ apud mentem contineres. Visus es Illustrissimæ gentis tuæ meritis apud Serenissimas maiestates, tanquam Sole, ad quæ conspectior tua virtus eluceret. Proinde & Rex Serenissimus, & Respublica nostra recipit iterum, Tuo instauratos merito illos grandis in aula meriti, Philippos, Raphaëles, Dobeslaos, Vratislaos, Venceslaos, omninò Lesczynios: & quia viuax virtus, neque cognominis vocabulum sine cura solet vsurpare, eâ sorte Venceslaus nuncuparis, vt sonum vocabuli veritate significes, & rebus præclarè gestis ita famam meriti ædifices, vt illa Maiorum merita efficaci excellentiâ triumphasse videaris. Fulget in te singulariter ille gentis vestræ in Polonia princeps, Dominus de Perstein Philippus, qui cùm Christianos soles, per solia Polona primus accendisset, vobis quoque in regia Miecislai aula Phosphorus extitit, vt apud alios serenissimos illos Boleslaos, Casimiros, Vladislaos, Alexandros, Sigismundos, Vladislaos, soles vestros promeretis. Æmulatus est insignem Macedonum Philippum, qui ita Macedonici ferri triumphali lumine Græcorum præstrinxit acies, vt in Græciam, Asiam, potioremque orbis partem Alexandri Victoris radij auroram illam secuti, lumen suum triumphale promouerent. Occupauit & vester Philippus, Principum Polonorum Christianam aulam, vt tritum quidem, post tot iam insignes gentis Tuæ, magnitudinis fundamentum reperires: illustrius nihilominus Tui meriti censu magnitudinem fabricares. Iecit ille profunda & altissimæ moli suffectura fundamenta, dum ante tot sæcula maximus in aula serenissimorum fieret: at Tu altiùs apices deducere incepisti, quàm spes quoque primis præsertim gradibus, promitteret. Seruasti omnem aulicæ magnitudinis methodum, normâ maiorum descriptam, dum per triti fundamenti omnes gradus pergeres; sed tua virtute altiùs promouisti, dum ad Principum vsque fasces eleuares, atque ipso vocabulo hodierni magistratus, cum Princeps audis, quæ Tua virtus, quæue per grandia obsequia, inter pares officio, impares merito, magnitudinis via fuerit, enodares. Credunt eruditi, magna consentire nomina in fundamentis & apice suæ magnitudinis, Magn⁹ ille

vester

veſter Philippus, ita Gentis veſtræ, & meriti magni princeps fuit; vt non minùs merito, quàm ſanguine Primates Poloniæ daret. Tu intermiſſum Principis vocabulum auſpicatò reſumis, atque purpurâ etiam apud Romanam ſedem quæſitâ explicas; vt commodè intelligamus, fore vt fecunda virtus Tua, quæ Te huic purpuræ genuit, maiori aliquando progeneret. Ita cùm per gentis lineam à Philippo deſcenderes, per rectiſſimam virtutis meritique lineam, ad Principum gradum & ſpem adhuc ampliorem aſcendiſti: vt maximos gentis tuæ, ſolus propè, potueris præſentare. Suffeciſti magno ſanè Numine, vt ille veſter Hercules, Achilles, Alexander, Cæſar, ille inquam magnus Raphaël, qui etiam nomen propitijs fatis ita acceperat, vt vos per omnem magnitudinem & Comitum prærogatiuam deduceret, ille centimanus virtute heros, tuæ aulæ compendio ſit collectus: cùm exemplum hoc domeſtici aulici, inſtar peritiſſimorum picturæ acciperes, & nullum lineamentum, aut etiam vmbram effulgentis excellentiæ præterires, quam non in Tui meriti commendationem tranſumeres. Non de vano iſte veſter Raphaël, magnus ad eminentiam dux, genium Polonum in Romani Imperatoris Friderici aulis exercuit, arcana magnarum mentium adminiſtrauit, omnia ſumma geſſit munera: ſed vt ipſe magnus effectus, molis ſuæ heredes maximos etiam poſt ſe numeraret; difficillimis illis ſimultatibus, quas ſceptri appetitus, inter Fridericum Romanum, Caſimirum Polonum, Mathiam Hungarum & Bohemum tunc concitauerat, parem tantæ moli dexteritatem pacificator præbuit. Admirata tunc eſt vel hoſpitis magnitudinem Hungaria, in illo non ſatis præ ſe, magnos cognoſcente Mathia: cùm ipſo militari certamine præcipitato rege, etiam regibus ſe præſtantiorem euiciſſet. Diligentior verò in virtute ſibi benè cognitâ, etiam poſterorum memoriæ commendandâ Principum cura, Germaniæ quidem beneficio, Comitum à Leſzno titulis & Leonis armati concolori animo effigie celebrauit: Polonâ verò munificentiâ, ſuum Ciuem lautis Magiſtratibus cumulante, duodecim territorijs, & Poſnanienſi geminato, Caſtellani Generaliſque ſubſellio, planè impleuit. Huius Tu excellentiam bonus virtutis heres æmulatus, non ſub ijsdem quidem nominibus, ſed genuinâ virtute adumbraſti. Pararis magnis fœderibus, Chriſtianitati cum Chriſtianiſſimis benè profuturis. Arcana verò magnæ regum mentis, rerum gerendarum conſilia, decreta legitima, tanquam in ærario apud te conſtituta; vt opibus conſilij oracula ærariaque Delphica & Delica Polonus Apollo etiam in Polona

Republica exhiberes: vt cùm Virtus tua, vltra aulici meriti gradum porrecta, necessariò ad Principum subsellia promoueri debuerit; ægrè te vel ingressus iste, vel alia maior Reipublicæ necessitas à serenissima maiestate auellere potuerit. Nimirum vt vastæ illæ Oceani aquæ orbis propè vniuersi baiulæ, licet per Orbem vniuersum occultis fontium vijs aquas dispensent, eas iteratò rebibunt; at verò sinuū magis sibi congeneres vndas ad latus habent: ita Serenissimus VLADISLAVS IV. necessitate quidem Reipublicæ virtutem tuam, satis aulicis muneribus probatam, debuit Prouinciarum solijs commendasse: quia tamen ad Reipublicæ administrandæ dexteritatem propiùs accesseras, non statim ab ista cura absolui poteras. Coluit Raphaëlem vestrum Germana aula, sed Polona recepit curia. Tu verò postquam ingens meritum in regiam Polonam attulisti, tanquam Patrimonium, hærere Serenissimis occupasti: vt ipsa subsellia ita te extra aulam ponant; vt tamen peculiari serenissimæ maiestatis designatus obsequio, honorem quoque sacri Principis, grandi ministerio subijcias. Fluxit in purpuræ tuæ venustatem, aulicæq; dexteritatis vigorem, egregius sanguis Vratislai, nouissimi de Perszstin heredis, in aula Ferdinandi II. sūmi Administri: & pulchrè se equidem in te explicat, dum purpurat⁹ ipse Princeps, maioribus purpurarum fœderibus, egregium sanguinem impendis. Iam verò Dobeslai Hungaricum, Venceslai cognominis tui recens Polonicum exemplum, ita aulæ muneribus exegisti; vt istud etiam, egregio fatorum ingenio contigisse cogitemus, quòd gemini ipsis non absimiles nominibus, Magni ambo Senatores, Venceslaus Præslausque nasceremini: nimirum vt postquam Tu, etiam fratris proximi nomen in virtutis tuę curam recepisti; Dobeslao Venceslaoque par imago, Venceslai vocabulo quasi tesserâ vsus accedas. Seruans rem nominis sui Vester Dobeslaus in aula Regum Hungarorum magnam famam, opesque luculentas egregio merito conquisiuerat: et cùm difficillimum bellum inter Poloniam Patriam suam, Crucigerosque Prussienses & Liuones exarsisset; imminebat grandis ex Bohemia vniuersaque Germaniâ Duce Henrico Liuoniensi Magistro militum nubes, quæ vastitatem Poloniæ minabatur, si meditatum malum, tam facilè effudisset, quàm perniciosè conceperat. Terror iste cùm passim famam sparsisset, commouit vestrum Dobeslaum, qui apud Hungaros Polonum pectus retinebat: elicuit Martium feruorem amor patriæ. Hostem ergo improuisus adoritur, fundit, triumphat: Poloniam securitati, se Poloniæ restituit. Vicinior virtuti tuæ fuit tempore ac merito Venceslaus. Ille non semel

mel magnus Cancellarius, potiſſimam tibi aulicæ magnitudinis ideam videtur deduxiſſe: qui in regijs iudicijs auditor & relator, parem Dobeslao efficiendi vim, Venceslao effectorum gratiam mēte capaci præſentaras. Hic poſtquā in ſago reddiderat ſæculis noſtris Alexandros, Curiæ Tullios; Aulæ Theodoſiani conſortij genium per ſpatia quædam temporum interrupta egregiâ operâ reſtaurauit.

Quod exēplū ſi perpetuū fuiſſet, non ſatis ab ęmulâ magnę licet aulæ, virtute digereretur in vsū: ſed cùm diutiùs ſe ab aulâ Curiâq; remouiſſet; ſenſit prouidētiſſim⁹ SIGISMVNDVS, quantū exempli ſuæ aulę defuiſſet: atque idcircò Palatinatu quidē Caliſſienſi ad Curiam, Vicecancellarij, Cancellarijq; munere reuocauit ad Aulam. Intellexerat & ille mentem Sereniſſimæ aulæ: & ideò non aulę tantùm, ſed & regno grande magiſterium reſtaurauit; cùm in ſublimi honore moderationem, in iudicijs æquitatem, in Conſilijs ſtudium boni publici præſeferret: atque ita omnia transſigeret; vt Regiæ maieſtatis gratiam, Senatus approbationem, amorem omnium ordinum mereretur. Sed parum magnitudinis Venceslaus iſte habuiſſet, niſi grande iſtud exordium ampliſſimis meritis, Tibi Magne Præſul poſuiſſet. Idcirco cùm Regni tribunalia Relator Auditorque cauſarum oc cupaſſes; illa magni exempli principia, tanquam ſemen quoddam accepiſti: vnde plenos meritorum manipulos meteres, & ſereniſſimis manipulis per obſequia curaſque ſolidas adiungeres. Tu lachrymas ſupplicum populorum, ita Patronus magis quàm diribitor deterſiſti: vt non ſuperficiem aſperam mitigare, ſed fontem malorum ſiccare videreris Nactus es grande pectus, quod tanquam mare in omnium auxilium remediaque influeret. Aculei illi, quicunque miſerorum grauabant calamitatem, Tibi fuiſſe infixi videbantur: cùm peritè eos evelleres, & ita melle tuo amaras oppreſſorum lachrymas condires; vt voluptas vna eſſet, in te iudicem incidiſſe, diuturnumq; Tui ſenſum grata domum pectora reportarent. Vtinam curiæ admirationem demonſtrare poſſem, cùm ad feliciſſimam eloquentiæ Tuæ vim attonita, miraculum magiſtratum dotibus adimplentis adoraret. Quippe facilè difficillima expediebas, implexa aperiebas, complanabas controuerſa: diſcordibus ingenijs inuoluta, ita percenſebas; vt Apellis felicitate in tabulam deducta viderentur. Illud quoque litigantium metuebat fallacia, ne Tu referres: quia vel primùm aperto ore, præcipitabas iniquitatem, erigebas innocentiam. Vnde minus videbatur, ſi ſub Tullij, Demoſthenis, Hortenſij, Periclis vocabulo, tua excellentia noſceretur, Illi enim vmbrā Tibi

 quan-

quãdam, tot ſeculis Te promittentẽ exhibebant: ex quorũ omnium excellentiâ vnus compoſitus, maximus debueras excreuiſſe. Vtinam gratæ poſteritatis memoriam colligerem (quæ decretorum tuorum, ad omnem æquitatis libram examinatorum laudem longis eſt ſæculis ſeruatura) & in tuam notitiam eam reducerem, vt de Tuo Tibi merito ſatis bonæ eſſet lætitiæ. Audires profectò, cognitor cauſarũ ſapientiſſimus æquè ac religioſiſſimus; prudens diſquiſitor, fortis Vindex, Iudex abſolutus: iuſtus in vitâ, exemplum in victu, miraculũ in iuſtitiæ methodo. Cerneretur liber à partium ſtudjo animus, ab auro non palleſcens, ab amicitiâ non languens, nullo affectu præceps, aut tardior: ſed ſemper penes iuſtitiam excellens, & contra Hectoreæ militiæ fulgur potentius perſonarum ſtudium, confidens. Illud vnicum elogium, quod penes tales faſces arduè tenetur, Tibi ore fero vniuerſæ patriæ. Non iudicabâre, cùm iudicares. Quia nihil erat, quod inuidorum etiam confidentia in dubiam partem reuocaret. Accepiſti tanquam picturam Rempublicam: ac deformatas iniuriis vrbes, notatas morarum dedecore lites, infamatas expectatione afflictorum lachrymas, pulcherrimè ad priſtinam formam ita deduxiſti; vt eximia quædam Reipub. facies, Tuo etiam labore induci cerneretur. Et voluiſſet quidem perpetuum te iudicem afflictorum calamitas, in cuius manibus ſemper ſua ſecuritas proueniret: niſi pulchrius eſſet etiam clientibus tuis, illuſtriorem te conſpici, qui perſpicaciùs auxilia omnium perſpexeras. Non es in eo aulæ gradu moratus, qui ad grande æſtimatæ excellentiæ teſtimonium, etiam in vniuersã vitam aliis ſufficit: ſed cùm Tu magnæ tuæ menti citò in illa baſi ſatisfeciſſes, virtus Te tua ab aulę curis, ad Sacrati⁹ Principum ſolium expediuit. Exegiſti tamen tantum breuiore curſu, vt ſinguli Tui anni, non ſatis ad meritum Platonicos annos habuiſſe noſcerentur: quia apud te decreueras, virtutis quàm annorum gradum eſſe meliorem. Ita ſenſum veræ gloriæ cepiſti: vt non diuideres rerum geſtarum aſſenſum, in paucorum iudicium; ſed & Sereniſſimi Regis, & Senatus, & liberæ Nobilitatis vota, pro tua excellentia experireris. Iſtam Tibi viam patefeciſti ad gloriam, & meritum: quam & liberi populi virtus approbaret, & optimo cuiq; eſſet chariſſima. Correxiſti Miltiadis exemplum: quia rebus præclarè geſtis remouiſti inuidiam. quæſiuiſti Sereniſſimæ Maieſtatis beneuolentiam, vtriuſque Curiæ amorem. Tuæ illud quoque fortunæ datum eſt: vt in illa gente emineres, quæ Virtutis magnitudinem, odiis non æſtimat.

MAGNO

MAGNO REFERENDARIO.

Magna felicitatis communis pars est,
Si priùs
Magna virtus apud se de dignitate quæstionem mouet,
Quàm
Sublime solium merito respondeat.
Vnde, inter Serenissima aulæ Numina,
Testimonium æstimatæ præstantiæ,
Diuturnioribus moris perfecisti;
Vt positum in apice meritum
Citiùs Principum lucem exciperet.
Si ad Ægyptium morem, illorum iudicum Nomina haberes,
Quorum in te similitudo viguerat;
Non plura sub toto Sole essent excellentium nomina,
Quàm apud te cernebantur merita.
Quia
Multi mysterij artifex,
Vnâ poteras virtute absoluisse
Omnes iudices, Oratores, Magistratus.
Vsq; adeò factus es compendium excellentis historiæ.
Vano labori illi curam impendunt,
Qui memorabilia sibi exempla in omni curiâ excellentium transcribunt,
Si te priùs in Curiæ tribunalibus aspexerunt.
Vsus es Cerarum tuarum gladio
Ad Gordios litium nodos dissoluendos;
Cùm difficillimas causas
Eâ expedires soliditate,
Vt
Portus esses expectatæ iustitiæ,
Scopulus intentæ iniuriæ.
Diuersarum gentium Idioma
Ita tibi fluxit in sermonem,
Vt
Cùm Serenissimus Rex te audiret,
Etiam nationum, ac sæculorum eloquentiam, tuis dotibus inseruire lætaretur:
Et cùm te Maiestatibus probauisses,
Os populi meruisti;
Qui
Gaudebat virtutem tuam Principum splendore coronari,

Inuidebat tamen,
Quòd te Optimum
Aliena sibi fælicitas abstulisset:
Atque ita
Magnus effectus es.
Quando ita Virtutem boni Magistratus extulisti,
Vt nemo etiam summorum esset
Qui te non suspiceret;
Qui verò poterant, illi eminentiam
Præmiis commendarent.

FASTIGIVM

MAGNIFICÆ STRVCTVRÆ.

SI mihi Princeps Illustrissime ac Antistes Reuerendissime, post diuturnũ solicitæ cogitationis cursum, mea vincenda esset trepidatio; quâ pluribus iam sęculis senatoria vestra lumina venerari Cineâ timidiùs aggredior: cùm in compendio tuæ excellentiæ, miraculo quodam, in vno vultu omnes vultus, gesta, sæcula collecta intuear; breui vocabulo vniuersæ laudis molem expedirem: me ab admiratione stuporem, à multitudine & magnitudine dicendorum silentium, concepisse confessus. Etsi enim animus in Tuas laudes inflammetur: cogitatio tamen non facilè in tota rerum magnitudine verba reperit; quibus rerum tuarum gestarum numerum, methodum, gloriam maioribus simillimam circumscribat. Profectò si ille Romanæ pompæ ordo, vniuersi Senatorij sui exercitus vultus, magistratus, merita, in simulachris ad publicos fori intuitus proferens, morem adhuc obtineret, ab ea Tu necessitate gentem tuam absolueres, vbicunque pręsens esses. Quia vt verè magnus fieres Senator, benè tuorum magnorum numerum & pondus inspexisti; & non feliciùs magnum sanguinem in hereditariam Senatus prærogatiuam accepisti, quàm rerum gestarum splendorem, in auctoramentum excellentis honoris digessisti. Inspexisti omnium magnitudinem, vt peculiarem viam Senatorio decore eminendi comminiscereris. Magnus noster DEVS bis senos Israëlis Illustrissimos, inter ornamenta supremi Antistitis computari voluit; atque rationale istud fuit, vt magnæ quoque Prosapiæ

ſapiæ ſplendor principalis, in ſplendoris maieſtatem Sacrorum Principi inſeruiret, & fieret norma creſcendi, ex lumine vulgari in ſanctius. Religioſiſſimus Polonorum Principum Boleslaus Criuouſtus, non ſatis ſe tutum ad excipiendas regio pectore Reipublicæ curas crediderat, niſi ex auro advigilantibus progenitorum vultibus, feliciter pectus muniuiſſet ad robur, mentem & memoriam ſtimulaſſet ad virtutis curam. Auchetes bellicoſiſſimus ille Perſarum Dux, parum de contritis Colchis triumphaſſet; niſi candidæ & triumphali togæ, Iouis vultum, Regum, Principum, Ducum, vniuerſique Senatus vultibus coronatum cum Epigraphe, FER QVI TE FERVNT, induiſſet. quia iſte ſplendor maximus & triumphus benemeriti ſanguinis videbatur, ex magna ſtirpe, magnum naſci: & maiorum geſta ac gloriam, in habitum ornamentumque mentis tranſtuliſſe. Fecit hoc Tibi vulgare Senatoria virt⁹ Tua, quod plurimis inſolens eſt. Vnde cùm duplici Principum Antiſtitumque Sole fulgentem ingreſſum tuum veneramur, ſacros tuos Ciuileſque Illuſtriſſimos, in Tuæ Maieſtatis radijs exaggeratos adoramus Iam nuper, cùm procul quidem ab oculis noſtris, at in ipſo mentium noſtrarum intuitu, Antiſtitum ſacram pompam indueres; cum illis, qui ad mentis tuæ ornamenta penetrabant, non auri aut vnionum pretium, ſed Te pretioſiſſimum Vnionem aſpeximus. Cernebatur pulchro diſtributa ordine, in habitu mentis Tuæ omnis maiorum virtus: illa ſacra Magnorum Antiſtitum pompa, illa Ciuilis meriti gloria, orbe carens & numero: ille ſplendor vetuſtiſſimus, nouis ſeſe reſtaurans inſignibus. vt miraremur potuiſſe Virtutis Tuæ vim, ad præſcriptum magni Exempli, in Principis Antiſtitiſque dignitate, ſæculorum meritum momento prope exhibere: & ita ſe oſtendere, vt nihil in ſacris ciuilibuſque præmijs eſſet, quod non fundamentum apud te reperiret, niſi molem tuam viâ ſanctitatis curare elegiſſes. Hinc quoq; optimi regiminis tui futuri pollicitationem accepimus; cùm in Magiſtratu tuo, duplicari faſces ſpectaremus: ex Apoſtoli enim decreto, penes benè præſidentes, duplex honor reperitur.

Sed patere, Magne Præſul, nos propiùs ad ipſa mentis Tuæ adyta progredi, & magnitudines tuas de vicino admirari. Contigit iam iſto ſæculo, Diuiniſſimum Bertrandum, cùm mentis cultum ſanctitati permiſiſſet, etiam ipſum corpus ita virtute poliuiſſe, vt purgatiſſimi inſtar ſpeculi, ſimulachra inſpectantium vultuum redderet. Tu Antiſtes Illuſtriſſime, cùm ſingulariùs ad principatus Tui excellentiā pertinere ſcires, vt ſpecu-

lum esses optimorum: ita Virtutem Magni sanguinis temperasti, vt primo intuitu, Lesczyniæ trabeæ omnia simulachra, tanquam in speculo, in Te cerneremus.

Vidimus in singulari tuo erga Serenissimas Maiestates studio, reuerti Bronissij Calissiensium Palatini acrem illam erga Boleslaum Pudicum fidem, nihil eorum non attentantem, quicquid intra optimi Senatoris limites potuit contineri. Gaudebamus in hac sacrâ purpurâ, quæ diuturnâ tui expectatione suffragium pro optimo tulisse videbatur; cùm à longiore Maiestatum consortio, celsiorem factum tuum animum Principis fascibus admoueret: gaudebamus inquam restaurari in Te, (si ea aliquando rediret necessitas) Prædislaum de Goluchow Calissiensium pariter Palatinum, & pro Ludouico absente Poloniarum proregem. Refulsit nobis singularibus flammis Raphaëlis Srenensis Castellani in patriam primi Exempli amor: cuius honori sellas Brestenses donauit, maius meriti testimonium ponens in studio erga patriam, quàm in honoratæ Virtutis prærogatiuâ. Iste gentis vestræ Vnio (in quo tum vno, Nomen, Virtus, meritum, hereditas omnis Lesczynia constiterat, vt tanquam à centro illustriùs in posteros spargeretur) in tuis vel maximè pendet ornamentis. Cùm enim plurima subsellia Te sibi expeterent: diu pulsanti honori, publici boni necessitate inductus, victâ modestiâ aditum tardè fecisti. nihilominus cùm Te tardiùs etiam in hanc sedem inferres, videbaris ex memoriâ gentilis Tui Raphaëlis, scrupulum cepisse, an aliter Reipublicę non posses prodesse: sed vicit nostra felicitas, vt sincerioribus votis, illustrissima merces contingeres. Et licet, vt pretiosa sole t , breuiter nobis lumen istud præsentares, aliarũ nationum approbationi portaturus: satis tamen est prẹmii magnę expectationi, Te vel semel aspexisse. Tu verus Raphaëlis Nepos magni Exempli viam sedulò premens, illam in Ioanne Basilide Moscho, homine fastuoso ac crudo ad fœdera legitima cogendo dexteritatem, cultiori fœdere exequeris. Quando quidem eleganti pace rebus domi constitutis, Senatoria tua efficacia, Philippo qui Miecislai, Ioanni qui Vladislai Serenissimis tædis inseruierant, Te tertium adiungere destinauit: vt numerus iste perfectionis in gente tuâ, & Tuo quidem absolueretur obsequio. Hinc & Raphaëlis Belsensis consultissima eloquentia, & Ioannis Cuiauiensis vtilis peregrinatio, omnium omnino dexteritas, summâ in te concessit similitudine: vt nihil magnitudinis esset, quod non gauderem' in Principe nostro adorari posse ab exteris.

Sed quia singulariùs ad filii radios illustrissimus Pater pertinebat

nebat

nebat; vidimus iſtum quoq; in Te ſplendorem, qui Te ſimilitudine virtutis etiam filium teſtaretur: & taciti cogitauimus, pulcherrimum eſſe, ſi iſta Principum Antiſtitumque ſedes, non oſtenderet tantùm magnos, ſed acciperet. Attuliſti ex trabeis ſagóque magni Parentis, magnæ Ciuilis dignitatis molem: quam potentiæ ampliſſimæ, & gloriæ potentiſſimæ capacem exhiberes; ſanguinemque egregium in ſacram excellentiam digereres. Cùm enim ſatis in purpuram Filiorum, Magnus Veſter Pater, in Polocenſibus, Starodubenſibus, Wielikolucenſibus, Welizienſibus, Sokolenſibus, Toropcenſibus, Pskouienſibus, Orſanenſibus, Smolenſcenſibus triumphis Moſchouitici ſanguinis fudiſſet: de Michaele & Raſuan, Beglerbego comparatis laureis diſtinxiſſet: ſubſellio Palatinatus Breſtenſis ornauiſſet: facta eſt exactio & hereditas purpuræ, continuata filiorum virtus. Et quidem ciuilis trabeæ meritum Ioanni apud Gneznenſes, Præslao apud Srenenſes permiſiſti: ipſe verò ſanctiore ritu, veram purpuram Princeps induiſti. Ducta eſt ita à trabeis locuples gloria, cùm Principis appellationem moribus trabeæ meruiſſes. Gaudet hodie Varmienſis iſte Tuus Principatus, ſe in vno Principe prope Rempublicam Magnorum accepiſſe: Te verò, tuis faſcibus bonum Reipublicæ omen perfeciſſe. Quando ex Romanæ Hiſtoriæ memoriâ, illius fortunatiſſimi Romanorum Tricipitij (vt temporis illius vtar vocabulo) recordamur, quo tempore ſub Cn. Pompeio, C. Cæſare, M. Craſſo ſummâ concordiâ, res & Maieſtas Romana creſcebat; & Te cum duobus fratribus, ex Senatorijs ſubſellijs Rempublicam curare incipere, animaduertimus: ex hoc fraterno Tricipitio, grandem prouenturam Reipublicæ felicitatem pollicemur. Habet iam noſtra quoque Polonia Hermetes, Geriones, Herilos; cùm Te, cum fratribus eiuſdem animi, proceres habet: ex quorum Tu Genio vnus es nobis Triſmegiſtus.

Ita Tu Magnus gentilitij ſplendoris æmulus, Principis Maieſtatem, vel in ipſo Principatus prooemio commendaſti; vt ſpes magna creſcat vniverſis, molem virtutis tuæ, ab hoc fundamento, vltra quoſuis aliorum apices perrecturam. Sed nondum ſatis menti tuæ fuerat, niſi curioſa illa dexteritas de alienî exempli magnitudine creſcere nolens, etiam alteri Antiſtitis excellentię abſolutiſſimam Ideam in maioribus ſuis reperiſſet. Præceſsêre, Boſſuta Gneſnenſis, Cuiauienſis Rudigerus, Vernerus & Fridericus, Poſnaniēſes duo Philippi, Plocēſis Raphaël, vivum quoq; Camenecenſis Andreæ exemplar: vt à tot excellentiſſimorum pulcherrimo merito abſolutiſſimus Vnio, ſin-

gulorum habens pretia, nobis aduenires. Idoneè quoq; numeri perfectionem, nonus ex gente Tua Antiſtes abſoluiſti: vt ſi Pythagoras quoque, gentium hodie illuſtriſſimarum prærogatiuam, ex perfecto ſacrorum Virorum numero cenſeret, inuento hoc Veſtro nouennario, Tibi palmam concederet; qui non ſine grandis Virtutis teſtimonio, omnem numeri perfectionem compleueris. Tuis Illuſtriſſimis Infulis inſpectis, illud Gregorianum intelligimus: optimum Antiſtitem ſacrarium fieri Eccleſiæ. In Te enim, exquiſito Sacerdotij vſu, tamquam in ſacrarium, omnis Pontificum Virtus eſt importata; vt hodie inter meritorũ tuorum ſplendores cerneretur, & nobis rediret memoria, Sanctiorum Polonæ Eccleſiæ Antiſtitum. Nemo eſt qui ambigat Diuiniſſimum Nazianzenum Sacrarium fuiſſe Byzantinæ Eccleſiæ; qui ſanctiorem Pontificum ſumptum ſanguinem, virtute ac ingenio celebrauit: quid non Tibi iſtud vocabulum concedimus? qui cùm plures ex maioribus numeres Pontifices; tum & virtutis Pontificię dignitatem, ex ſapientiæ virtutisq; merito ædificas. Adimeret ſanè conſpectibus noſtris caſus aliquis, aut neceſſitas, ſanctiores imagines: adhuc Tua ſuperſtes virtus, quæ Te digniſſimum huic ſubſellio intulit, viuam nobis Pontificum ſimilitudinem præſentaret. Cùm enim in ipſo Sacerdotij tui exordio ſatis intellexiſſes, neceſſariò Tibi Pontificum ſolia aduentura; ſtatim ex Aniceti decreto, glorioſam Te DEI imaginem, quæ Pontificem ante Infulas faceret, præſtitiſti. Inde vigilantia maximi gregis regimine digniſſima, mellita erga ſubiectos ſeueritas, æquitas beneuolentiâ temperata; cura circũſpecta, prudens, & ſolida; auctoritas comitate commẽdata, vt radius quidam à DEI Maieſtate deriuatus, incognito quodam Numine, pectora humana rapere videbatur. Religio cùm eſſet ardentiſſima; radios tamen ſuos fortiſſimos, inter modeſtiam explicabat. Sapientia, ſolertia, dexteritas, maximis quibuſque ſubſelliis (ſi ad meritum tuum campus virtuti proueniret) ſuffectura, oſtendit priuatim, quid ſit Magiſtratum ſacrum in apti poſſeſſoris manus deſcendiſſe. Eo temperamento compoſitis Virtutibus, verum Eccleſiæ ſacrarium, & corporis Reipub. tuæ ſanctior anima, es effectus. Animatum eſt huius Eccleſiæ & Principatus corpus, noſtro iam ſæculo, ab Hoſio, Cromero, Sereniſſimo Batorio, Tilicio, Rudnicio, Sereniſſimo Alberto, Szyſzkouio, cùm feliciter, tum & ſanctiſſimè. Contigit Tibi quoq; iſta cura: & neſcio quantũ ſpei hodie animi noſtri concipiunt, Fortunam illam, ſplendorem, religionem, cumulanda ſingulariùs, exſpectantes: quando Te optimam animam

mam ex temperamento omniumPontificiarum virtutum ęquabiliſſimè conſtitutam accepimus.

Ille quoque numerus gentis Tuæ Antiſtitum, â Te ad perfectionem deductus, & virtutis Tuæ vi in vnitatem collectus, dum Tuæ dignitatis magnitudinem exaggerat, nobis ſtructuram honorum, meritorumque tuorum reputantibus, magnum Eccleſiæ huic pollicetur Maieſtatis incrementum. Non cogitamus hîc, illam vulgi iudicio excellentem magnitudinem, quæ â pluribus excitatis molibus, NoſtroCaſimiro, & Romano Xyſto, Magni appellationem contulit: cuius Tu quidem genium à Gneznenſi Boſſutâ, Plocenſi Raphaële ſatis idoneum deriuaſti; illius tamen molis cura tibi facta eſt præcipua, quæ in terris cælos ædificat, & Diuini ſceptri limites in vlteriores promouet colonias.

Feliciſſima fata, diuturnæ expectationi noſtræ, iſtud contulerunt pręmium, quale quidem deſiderare poteramus, expectare non audebamus: vt iſto potiſſimùm tempore hæc ſubſellia inſcenderes, quo ſolicitior eſt Sereniſſimæ Regiæ Maieſtatis cura, circa iſtas Acatholicas Prouincias, Orthodoxis ritibus reſtituendas. Ex cuius proſapiâ, cùm primos gentis ſuæ paſtores Poloni, Gneznæ in Boſſuta accepiſſent: conſtantiúsne an feliciùs Orthodoxos retineant ritus, non eſt facile definire. Redit hîc pariter nobis memoria meritorum Rudigeri & Verneri germanorum non ſanguine tantùm, ſed honore, & ardore fratrum, Cuiauienſium, & Vniuerſæ tum Chriſtianæ Pr[illegible]ſſiæ Antiſtitum. Qui Boleslai primi Poloniarum Regis triump[illegible], quos ille potenti gladio in Pruſſis corporibus effecerat, [illegible]one, vigilantiâ, ardentiſſimo labore & planè Apoſtolico, in p[illegible]ora protulêre: & Poloni Principis nouam Prouinciam, ardent[illegible]re ſtudio, prædicatione, induſtriâ in Polarem perfecerunt; vt oſtenderent, tantò ſuperius eſſe regno Sacerdotium, quantò maius eſt debellare animos quàm corpora. Dabitur & Tuo Numini Magne Præſul, vt ſęculare in Pruſſia per Lutherianos inductum Eccleſię dedecus, Tuâ feliciſſimâ dexteritate aboleatur. Redibunt illi pulcherrimi flores in vniuerſam Pruſſiam ſub Vladislao, quos tui Maiores inſeruêre ſub Boleslao. & quomodo non redeant? cùm tu nihil à maiorum tuorum exemplo accipias, quod non exquiſitius tuâ illuſtriſſima virtute efficias. Numerabimus in Tuis geſtis, pluribus ſæculis celeberrimos Antiſtites, & Te inter cæteros [illegible]ſignem venerabimur: neque nobis recurret deſiderium, requir[illegible]ndi aliornm exempla, Maieſtatem, vultum; poſtquam Tu nobis vel primo vultus tui

 munere,

munere, ea omnia polliceris, quæ ab optimo possent expectari. Ostendisti, primâ istâ dignitatis Tuæ imagine, grandem in futuros annos nostram fortunam. Vnde nos eo spectaculo, & spe recreati, inter sincera vota, illud quoque Tibi apprecamur, vt ad mensuram animi tui crescas. Satis profuturæ magnitudinis, Principis purpurâ, Antistitumque Infulis polliceris. Habe ad votum Tuum Superos, vt quæ egregiæ spei ostentas, feliciter exequaris. Nostrum verò studium ita accipe, vt qui magna tua admirati quidem fuerimus, eloqui tamen non potuerimus.

MAGNO PRÆSVLI.

Serenior illa dies, quæ deliberatis moris Solem infert,
quàm quæ præcipitat.
Expectationi quoque illud fata disponunt præmium,
Vt illa
Latiùs aspiciat, in quæ ventura, diuturniùs prospectauit.
Tædia præteriti temporis, tunc expediuntur egregiè;
Cùm illi nobis adueniunt, qui bono vsu tempora condiuerùnt:
Et querelam ætatum, animo
Virtute informato, norunt depellere.
Aduenisti Magne Præsul.
Et vt nobis læti futuri temporis fidem faceres,
In apparatu benemeriti Tui, tantum nobis Senatum,
Æmulo splendore attulisti:
Quantum,
Nec Darius sub Zopyri Nomine desiderare,
Nec vna magna Respublica, capere potuisset.
Attulisti Veteris fortunæ, magni meriti,
Antiquissimi splendoris imaginem:
Vt non ab Infulis tantùm Antistes adorarêre;
Sed sub tot Patriæ, per sæcula collectis vnionibus
Illustrissimarum gentium Antistes noscerêre.
Leszczyniæ Sanctitatis & dignitatis hereditas
Geminum Tibi, in [illegible]o, Principis Præsulisque solium decreuit:
Quod vt Tibi, Ecclesiæque firmius esset,

Gemi-

Geminum fulcrum, attulisti in animo.
Ciuilis rei gerendæ & iuris notitiam, ad Principum gladium:
Sacerdotij optimi meritum, Sapientiam, Vigilantiam,
Comitatem, religionem, ad Antistitum pedum.
Ita Hierosolymam quoque, Varmiacæ infers Ecclesiæ;
Cùm nobis Iachin & Booz,
In virtutis robore, & scientiæ firmitudine constituis.
Destinatam Serenissimis tædis dignitatem attulisti:
Vt lucem Te mundi sub Infulis factum,
Non nos tantùm de radio meriti spectaremus,
Sed externus etiam Orbis
Potuisse approbare nosceretur.
Cùm te Principatus tuus, amantissimis desiderijs exigeret;
Ad curas serenissimas detentus
Diem nobis expectatum differebas:
Vt quicquid deinde illustre ex subselliis Polonis ageretur,
Sub Tuo transactum lumine
Vel maximè cognosceretur;
Et potens esse Serenissimi Vladislai sceptrum,
In tua Venceslai dexteritate sentiretur.
Magnus Dei Sacerdos es.
Cùm ex multis nationibus, & optimis exemplis
Collectos mores, ad Sacerdotium attuleris;
In cælo collocatus, inter medias virtutes videris:
Cuius efficacia, Virtute condita,
Statim fasces magnos geminat,
Et summa negotia arripit.
Sic, plures esse in animo, quàm in corpore,
Et manus & capita; plura produnt merita & præmia.

FINIS.